



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Leorini Silesii Etesiae, siue Apinae  
Therinae**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1581**

**VD16 R 1419**

I. Ad Illvstrissimvm Principem D. Iacobum, Marchionem Badensem, Car. F.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12434**

NICOLAI REV-  
NERI LEORI-  
NI SILESII

Etesiaë,

siue

APINÆ THERINÆ:

In Elaphebolis Palatinis  
Scripta.

ANNO M. D. XXCI.  
M. Augusto.

I.

AD ILLVSTRISSIMVM  
Principem D. Iacobum,  
Marchionem Badensem, CAR. F.

*Q*uando Palatino cum Principe sacra Diana  
Suscipis: & nemorum lustra, IACOBE, subis:  
Et iaculis fixos capis, aut in retia pressos  
Venator ceruos conficis ense bonus:  
Spectator pulcri certaminis ipse, comesque:  
Disparibus lusi carmina pauca modis.  
Scripta tibi quæ mitto, tuo sub nomine, Princeps  
Inclyte. sit fas hæc nomen habere tuum.

A 2 Musaruna

Musarum cultor pariter, domitorque ferarum  
Magnus ut Alcides, tu simul esse potes.  
Sis bonus ô, vati que faue tibi magne fauenti  
Marchio: quæque legis, consule quæso bono.

II.

Ad Ioannem Posthiū Me

De Etesijs suis.

Dum sicco cane terra feruet: atque  
Crescens præripitur seges: diebus  
Musæ quæ faciles Etesiarum  
Nuper carmina fortè dictitârunt:  
POSTHI, si madida nozem papyro:  
Cur indignè Etesias vocari?

Sint ô sint modo Etesia salubres:  
Et curas mihi temperent molestas:  
Nec solùm mihi, sed meis patronis,  
Et cunctis reliquis meis amicis:  
Quorum nomina continet libellus.  
Auræ sicut Etesia salubres,  
Sicco sub cane, temperant calores  
Aestatis nimios: suoque flatu  
Languentes recreant, fouentque plantas:  
Aut herbas vario colore pictas:  
Et cæli volucres, marisque pisces:  
Et quicquid pecudum vsquam vagatur.